



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gegorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio XLVII. De Laico Clericum reconvenire moliente coram Judice Laico.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS IV.

De Mutuis Petitionibus.

DECISIO XLVII.

**De Laico Clericum reconvenire molienti coram
Judice Laico.**

Tosso insignis in Bavaria diocesis
Augustanae Parochus in notitiam
pervenit, Ecclesiae suae Decimas à Luit-
prando Domino Hoffmarchiali iniquè
detineri, utpote vitiosò titulò ab ipsius
Majoribus occupatas. Has ut recupe-
raret instituit Judicium Possessorium
possessionis recuperandae coram Su-
premo hujus Regionis Dicasterio, cui
Luitprandus tanquam Nobilis Land-
salvus erat subiectus, tamque feliciter
causam suam tractavit, ut omnino
praefatarum Decimarum possessio ad-
judicata fuerit & reddita Tossoni Pa-
rocho. Elapsis subin aliquot annis re-
perit Luitprandus aliqua instrumenta,
quae sibi videbantur multum proficua
ad recuperandas has Decimas, qua-
rum jacturam velut lucri annui facile
1000. florenos aequantis, peracerbè
terens ex una, ex altera verò parte
Tossonem Judici Ecclesiastico subje-
ctum trahi non posse ad Judicem Lai-

cum animadvertens, coram quo ob-
faventes sibi Judices, uti credebat,
non modicam victoriae spem sibi pol-
licebatur, unicè in id inhiabat, ut Tos-
sonem ad prioris Judicis & Dicasterii
Laicale tribunal pertrahere posset. Id-
circo hanc artem excogitavit. Pos-
federat praedium, quod Majores ipsi-
us ab Ecclesia Parochiali, vel potius
à Parocho hujus Ecclesiae, obtinue-
rant in feudum, atque in eo ita se
gesserat, ut nescio, qua ex causa i-
psum super caducitate feudi conveni-
ret Tosso coram tribunali Laico, at-
que hinc arripuit occasionem inten-
tum suum exequendi, nimirum titulo
reconventionis Tossonem cogendi re-
spondere coram eodem super deci-
mis ante lustrum circiter amissis. Quia
verò Tossoni nec libitum, imò nec
licitum vel consultum videbatur super
Decimis respondere in hoc tribunali,
ventilata est

* *

*
H b 2

QUAE

Q U Æ S T I O.

An Luitprando jus competat reconveniendi Toffonem P
rochum coram Judice Laico.

HOc omnino, sicut unice intendit
hac via Toffonem ad faculare
Tribunal pertrahere, ita executive
obtinere se posse sibi persuadet Luit-
prandus. I. Quia per reconventionem
subjicitur quis Judici aliàs non suo, *t. r.*
de mutuis petit. l. 22. ff. de Judic. l.
14. junct. autb. Et consequenter C. de Sent.
et interlocut. Siquidem II. æquissimum
est, & naturali rationi consonum, ut,
quem quis Judicem approbaverit pro
se, eundem quoque approbet contra
se, eundemque patiatu Judicem Lai-
cum, quem pati coëgit Clericus Re-
um Laicum. *per l. 22. et 14. citt. in*
Judiciis enim servanda est inter liti-
gantes æqualitas. III. Si Clericus cor-
am Judice Ecclesiastico fuit conven-
tus ab Actore Laico, potest vicissim
iste ab illo reconveniri coram Judice
Ecclesiastico: cur ergo non econtra?
IV. Si Clericus non posset reconveni-
ri coram Laico, tunc ideo, quia in
Clericum nulla est jurisdictio Judicis
Laici: sed hoc est falsum; nam Cleri-
cus conveniens Laicum coram Judice
Laico potest cadere causâ, consequen-
ter condemnari à Judice Laico, &
quidem, si temerè litigavit, etiam in
expensas, ut habet communis: atqui
per sententiam condemnari non po-
test, nisi in talem Judici competat
jurisdictio. V. denique: licet fortas-

sis de Jure scripto esset dubium, et
Clericus reconveniri possit coram Ju-
dice Laico; illud tamen dubium
superque declarat passim recepta,
communiter ab Auctoribus appro-
bata consuetudo, quæ est optima
biarum legum interpret. c. 8. de
*suet. l. 37. ff. de Legib. imò & in-
tentionem legis obtinet. l. 32. seq. ff. de
et can. 5. d. 1.*

Sed fallitur Luitprandus, dum
sonem fallere molitur. Si enim
commune Scriptum placet attendi
longè communior & verior opinio
Clericum non minùs in reconven-
ne, ubi deberet sustinere perfonam
Rei, exemptum esse à Jurisdictione
& foro Laicali, quàm in conventio-
ne, quia SS. Canones universales
prohibent Clericos tanquam Reos
hi & conveniri coram Judice Laico
utpote à Jurisdictione seculari ge-
raliter exemptos. c. 2. 4. 12. de
*comp. c. un. de cler. conjug. in 6. & alii
sapius: ergo & prohibent reconven-
ri, partim quia reconventio est etiam
conventio, & species conventionis
ergo si prohibetur omnis conventio
generaliter & universaliter, etiam
omnis species conventionis prohibetur
cum generi insint omnes species. l. 1. ff. de R. J. & Jura generaliter dispo-
nentia generaliter sunt accipienda.*

ff. de Legat. prest. l. 15. §. 26. ff. de iur. partim quia ratio, propter quam prohibetur Conventio Clerici coram Laico, ne scilicet, qui superioris sunt ordinis, judicentur ab inferioribus, patres à filiis, pastores ab ovibus &c. etiam reperitur in Reconventione: ubi autem est eadem Juris ratio, debet esse eadem Juris dispositio, ut dicitur in communi brocardico. Accedit, quod reconventio fundetur in prorogatione tacita Jurisdictionis. per l. 14. ut Clerici autem nec tacite Jurisdictionem Laico in se prorogare valeant. c. 4. c. 12. citt.

Si vero ad Jus non scriptum, seu Consuetudinarium, confugiat Luitprandus, non quidem abnuo, secundum Doctores asserta passim invaluisse consuetudinem reconveniendi Clericos coram Judice Laico, tacito Pontificis consensu firmatam: Sed nec ista patrocinatur Luitprando, ex triplici capite. I. quia hanc reconventionem vult institui in Bavaria, & quidem in causa non connexa; nam utique causa Decimalis ex nullo prorsus capite connexionem habet cum causa caducitatis feudorum, super qua Toffo convenit Luitprandum: atqui in Bavaria & de Jure Bavarico, secundum quod praxis Bavariae regulatur, in causa non connexa nec Laicus Laicum reconvenire potest coram Judice conventionis, sed debet coram suo ipsius Judice convenire novo Judicio: sic enim habet *art. 1. tit. 6. Gerichts-Ordnung / quae Ordinatio est pars Juris Bavarici: Wo aber*

die Gegenklag (reconventio) von der ersten Klage nit hergeheth / noch der anhängig (ubi nempe non datur connexio causarum) sondern eine andere Klage ist / soll alsdann ein Inwohner (patriota Bavaricus) den anderen vor seinem ordentlichen Gericht fürnehmen / h. e. coram suo Actoris, non coram Rei conventi Judice: quis ergo credat, in Bavaria quoad reconventionem Clericorum dari aliam consuetudinem? II. Quia satis apertum est, Luitprandum studiosè feudum debito tempore non recognovisse, & eum in finem, ut super caducitate à Toffone conventus occasionem arriperet eum reconveniendi coram Judice conventionis Laico, & cui ipse subjectus est, quemque sibi (sive jure sive injurià) contra Clericum specialiter faventem credit. Certum est autem apud DD. neque vi consuetudinis, alias vigentis in aliqua Provincia, posse reconveniri Clericum coram Laico, ubi studiosè & per fraudem Laicus se conveniri à Clerico fecit coram suo Judice Laico; cum fraudi non debeat relinqui locus. c. 2. de Rescr. in 6. & dolus nemini patrocinari debeat. c. 16. eod. x. c. 2. de dolo & contum. Demum III. Quia reconventio Clerici coram Judice Laico vi nullius consuetudinis in ulla Provincia locum habet in causa spirituali, qualis est hæc Decimarum, adhuc spirituali titulo annexarum; ut tales enim recuperavit illas Toffo in Judicio possessorio coram Laico, quod vi Concordatorum coram Laico institui

tui in Bavaria potest. Accedit, quod eadem Concordata §. 7. in casu, quo Decimæ jam sunt secularizatae, Reus tamen conventus Clericus est, non permittant hanc causam decimalem tractari coram Judice Laico. Atque ex his

Facilem habent solutionem fundamenta Luitprandi. *Primum* non urget, quia illa Jura sunt intelligenda de casu, quo nec persona nec causa habet privilegium exemptionis, & quodlibet de suo foro, Civile de foro Civili, & huic subjectis causis ac personis; Canonicum verò de foro Canonico. *Secundum* eandem recipit limitationem; nisi nimirum vel persona, quæ reconveniri, vel causa, in qua reconveniri deberet, exempta sit à Judice Laico; & nisi major æquitas exigat, Clericum, qui superioris est ordinis & vicem patris vel pastoris gerit erga Laicos, ab his non tractari ut Reum. *Tertium* non concludit, quia Judex Ecclesiasticus respectu Laici reconveniendi etiam in causa laicali non est incompetens, sicut tamen Judex Laicus respectu Clerici, maxime in causa Spirituali, est incompetens, & ita quidem, ut nec prorogari ab eodem in se jurisdictio possit Judici Laico. *Quartum* laborat falsò suppositò, quod Judex Laicus in Clericum propriè directè & positivè exerceat jurisdictionem, si absolvat Reum à Clerico conventum per sententiam, utpote quæ potius est absolutoria Rei Laici, vel declaratoria, quod Clerico nullum comperat jus adversus Laicum, ade-

oque tantum impropiè, indirectè, negativè exerceat jurisdictionem condemnando Clericum: deinde ab ipso Jure Canonico, utpote quod permittit Clerico coram Laico conveniri Laicum, pro hoc casu conceditur Judice Laico potestas eum condemnandi non verò conceditur, ut Judex Laicus procedat contra Clericum ut Reum & ut conventum, consequenter etiam ut reconveniat; cum reconventio sit species conventionis. Proinentia Judicis Laici condemnantis Actorem in causa conventionis habet, sicut lex Magistratùs Laici respectu Clericorum, quæ si justa est, facit etiam Clericos, sed solum indirectè, h. e. ex decentia naturali, & ex permissione Juris Canonici, non quatenus provenit à Legislatore Laico obligat sic fit in Judice Laico Clericum Actorem condemnante, cui nulla est jurisdictione in Clericum, sicut Magistratus vel Legislatore Laico in eundem non est jurisdictione. Quod additum est in condemnatione Clerici in in expensis negatur à P. Engel, & Marta de jurisdictione p. 4. casu 136. n. 10. & ab alii citatis; quia sic Judex Laicus procederet contra Clericum in Criminalibus, eumque propter delictum puniret, quod ipsi permixtum non est: tendæ igitur sunt expensæ à Judice Ecclesiastico, ubi Clericus coram Laico temerè litigavit. Vid. meum *Candidatum in l. 2. Tit. 4. n. 5.* ubi hæc & plura invenies. *Quintum* enervatur pernitus ex dictis paulò antè §. si vero *Jus non scriptum &c.*